



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 11. Diuitijs pretiosior paupertas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

locuti sunt de Deo. Ideò audiuit Dominus, & distulit: & ignis accensus est in Iacob; & ira ascendit in Israël. Et pluit super eos sicut puluerem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum. Et manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo. Adhuc escà eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum. Vides, quid iratus faciat Deus? pingues finit fieri homines, sed pingues occidit; dum parcat ijs, qui vix ossibus hærent. De tali porco occiso legimus & alibi, cuius ipse Samuel egit lanionem: Dixitque Samuel: *Adducite mihi Agag regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguisissimus & tremens. Et in frustra concidit eum Samuel coram Domino in Galgala.* Ne dubitate, vitiosè pingues, ex adipe vestro æternus ignis plus alimenti, est habiturus. Benè confidite, macilenti jeuniis; plus & valetudinis & virtutis habet, qui sic minus habet in cute pinguedinis.

§. XI:

Divitijs pretiosior paupertas.

Qui homini dixit: *sine iudicio, nihil facias grane,* an ipse sine iudicio patietur amicos suos

i. Reg. 15.
32.

Ecl. 33.
30.

suos esurire, saturari inimicos? opes his, tan-
 quam maius beneficium, dabit, illis negabit?
 nequaquam. Maius est beneficium minus
 habere. Plerumque qui diuitijs, idem & vi-
 tiji vicinior est. Paupertatem Diogenes ap-
 pellabat virtutem *αυτοδιδασκλον*, id est, *qua per*
se discitur, seu potius *virtutis magistram*. Di-
 uitibus opus est multis præceptis, vt fruga-
 liter viuant; vt corpus exerceant; vt labo-
 rent; ne vestium ambitioso cultu delecten-
 tur; ne potus cibique intemperantia, in li-
 tes, jurgia, homicidia, aliâq; innumera mala
 prolabâtur: quæ omnia se ipsam docet pau-
 pertas. Apud diuites, *libère & licere, idem est*.
 Pauperes, quot supra se habent, tot habent
 custodes. Grauissimè pronunciauit Augu-
 stinus: *seculi potentiam, esse impunitam nequi-*
tiam. Pulcherrimè Solensis Crantor vitam
 frugalem pauperemque Ithacæ Vlyssis pa-
 triæ comparabat, quæ juxta Homerum, a-
 spera quidem erat, sed bona *νοσηγορικός*, id
 est, iuuenum altrix: dum eos cōsuefecit fru-
 galiter & continenter viuere, & ad omnem
 virtutis functionem exercuit. Eapropter &
 Philosophi sapientiores olim, & Christo po-
 stea veram sapientiam homines docente,
 etiam sanctiores quique, vitam inopem di-
 N uitijs;

S. Augu-
 stin. de
 Verb. Dō.
 serm. 37.

uitijs; olusculum caponibus; symposijs sitim; conuiujs centum ferculorum, panem mendicando obtentum prætulērunt. Lycurgus, ciuibus quibusdam interrogātibus, quo modo liceret hostium insultum effugere? Si, inquit, pauperes fueritis; non facile potest elabi, qui sarcinis & impedimentis retardatur. Cui ergo nec ære locus, nec crapula stomachus grauis est, is longè facilius infernū hostem fugiet persequentem, longè expeditiūs, per huius vitæ stadia, curret ad æternę salutis brauium.

§. XII.

Viri à ciborum luxu abstinentes.

Hinc Pauli, hinc Antonij, hinc Macarij, hinc Paphnutij, hinc Frontonij, Pachomij, Venantij, hinc jeunijs exenterati lignei illi & ossei Hilariones, Serapiones, Spiridiones. B. Fulgentius Ruspensis Episcopus sic vivebat, *ut inedia magnitudo siccata corporis cutem fatiscere diuersis ulceribus cogeret, ac superducta (quam dicunt) impetigine delicati corporis pulchritudo fœdaretur.* De qua seueritate cū nec æger remitteret, Scimus omnes, *aiebat, ex epulis vitam solere seruari, non sanitatem posse cōferri. Nam ut sanetur infirmitas, si explenda videtur gula cupiditas; quare infir-*
man-

Sur. 1. Ianuar. in vita eius. c. 6.